

sita conducunt, *River. prax. med. l. 1. c. 15.* post aures locat eundem in finem *Mattheus de Gradibus, & Zaent. Lusit. l. 2. prax. admir. obs. 160.* Et hoc remediò in *catarrhò suffocativò* nullum efficacius deprehendit *Prevotius*, teste *Rhodiò in anal. ad Sept. l. 6. caut. med.*

Ad supremum ventrem aures & oculi quoque spectant, ideò, quomodò vesicantia iisdem profint, paucis adnectemus.

In *tinnitu*, imò *surditate recenti* ad derivationem vesicam in primis colli vertebrae magnitudine palmae excitat *Eustach. Rudius l. 1. c. 32.* Talismodi vesicantibus plurimi ab hisce symptomatibus liberati sunt hactenus. Testem produco malignâ febre laborantem studiosum, inter alia gravissima symptomata & surditate afflictum cum deliriò. Adplicata hujus nuchæ & brachiis vesicantia omnia in meliorem mutaverunt statum.

In *ophthalmiâ* tum recenti, tum inveteratâ quotidie vesicantium virtus deprædicatur. Sic in *lippiudine* contumaci vetulæ cujusdam mirificè profuisse testatur *Forestus lib. II. obs. II.*

In *guttâ serenâ & suffusione, catarrhâ* vel incipiente jam, vel jam acu depositâ, omnes ferè vesicantium adplicationem suadent, modò cervici, & nuchæ, modò vertici, modò toti calvariæ, in formâ cucuphæ. Ita profuisse testantur hinc inde Autores, & nos cum ipsis, diù aperta servata. Vid. *River. prax. l. 2. c. 1.*

In *contusione oculi* ad præcavendam inflammationem aliâque symptomata avertenda summò cum fructu adplicata aliquoties novimus.

Dentium dolores vesicante cauteriò sedavit *Ambrosius Paræus l. 6. c. 25. Laur. Scholz. cons. med. 72. §. 195.* & nobiscum alii.

His quoque adnectere placet, quòd *River. l. 6. c. 7. prax. med.* etiam in *anginâ* illicò post sanguinis missionem suadeat vesicatorium posteriori cervicis parti adplicandum.

## CAPUT IX.

### Vesicantium usus in medii ventris & venenatis morbis.

AD pectoris adfectus contumaces demulcendos vesicantia variis commendata videmus ab Autoribus. Sic